

Rñus P. Ioannes Camillus Ripoli (1780-1850)

R. P. *Georgius Dassonville*, unus e Capitularibus Capituli ultimi, d. 17 Oct. 1938 e longinqua Columbia, e domo Popayán, Analectorum moderatori scripsit: «La série documentaire sur les généralats, qui se sont succédés, depuis la mort de St Alphonse jusqu'au gouvernement du Rñe P. Mauron, sont d'une utilité d'autant plus grande, que cette période demeure presque inconnue pour la plupart des Rédemptoristes. Grâce à vous le voile se lève peu à peu, et nous sommes bien aise de pouvoir satisfaire notre légitime curiosité ».

Hodie igitur vita quinti nostri, post S. P. Alfonso, Rectoris Maioris breviter enarranda venit. Ioannes Camillus Ripoli natus est Corati (*Corato*) d. 9 Oct. 1780 ex Iosepho Ripoli et Agatha Mastroserio. Quid ei calcar fuerit ad nobis se aggregandum, ipse in processu apostolico beatificationis S. Gerardi Maiella narrat, videlicet frequens sermo, quem ipse, etiamtum puer, a patre et a patruo Canonico Dominico Ripoli de sanctissima vita S. Gerardi audiebat, qui quidem suae commorationis Curatensis (a. 1753) vestigia indelebilia reliquit. Camillus noster tanta erga Gerardum devotione iam tunc repletus est, ut nullum praetermitteret diem,

quin eius tutelae sese commendaret. Postea autem, qua Rector Maior, Gerardi causam diligenter promovit.

Sacra nostra veste Camillus indutus est acolythus, d. 15 Iul. 1798, a novitiorum Magistro P. Iosepho Maria Pavone, cum licentia Vicarii Generalis P. Iosephi Caietani Cardone¹.

Expleto novitiatu Fr. Ripoli vota nuncupavit, cum licentia Rectoris Maioris Blasucci, inter manus eiusdem P. Pavone d. 21 Iul. 1799. Sacerdos ordinatus est d. 31 Mart. 1804 in Ascoli, ab Episcopo Emmanuele De Tommasi. Post Rm̄i P. Ripoli obitum P. Andreas Hugues, Consultor-Secretarius Rm̄i P. Trapanese, ad domos Transalpinas scripsit: « In Congregatione (Ripoli) excellebat ut missionarius infatigabilis, praesertim in Calabria, ubi maximam partem sui ministerii apostolici ita exsecutus est, ut Calabriae Apostolus vocari possit »². Ibi etiam Magister novitiorum et Rector localis fuit.



Capitulo generali anni 1832 post renuntiationem Illm̄i Caelestini Cocle a Vicario Generali, doctissimo P. Blasio Panzuti convocato, P. Ripoli interfuit ut Vocalis collegii Coriliani (*Corigliano*). Hoc Capitulum id peculiare habet, quod in eo prima vice 3 Rectores (PP. Kosmacek, Czech, von Pilat) et 2 Vocales Transalpini (PP. von Held et comes von Welsersheimb, qui ultimus postea exiit) partem habuerunt. Per se quidem debuissent esse quatuordecim, quia tunc (licet ad tempus suppressa domo Bischenberg) iam 7 domus Transalpiniae erant: Vindobona, Friburgum Helvetiorum, Ulisippo, Frohnleiten, Mautern, Innsbruck, Tournai; sed complures suo iuri renuntiarunt, probabiliter ob magnas itineris expensas, et Vocalis Friburgensis P. Franciscus Hofbauer, fratris S. Clementis filius, suum « procuratorem » in Capitulo constituerat P. Ioannem Sabelli, quocum olim in Valle Sancta (*Valsainte*) complures annos degerat³.

¹ Tunc enim temporis P. Rector Maior Blasucci in Camaldulensium caenobio detinebatur (*Analecta*, 1938, p. 281 sq.). Eheu, hic Vicarius Gen. Cardone, antea diu Consultor Gen. et Postulator in causa S. P. N. Alfonsi, a. 1800 ex Instituto dimissus est! F. Kuntz opinatur eum ipsum fuisse delatorem sui Superioris, P. Blasucci (*Comment.* XIV, 219, 261), qui in quadam epistola eum appellat « il *traviato* P. Giuseppe Cardone ».

² IOSEPHUS WUEST, *Annales Prov. Americanae* II, 408.

³ F. KUNTZ, *Commentaria* XX, 280 sq.

Die 29 Maii deventum est ad electionem successoris Rm̃i P. Coele, et in quinta suffragatione ad supremam Instituti dignitatem evectus est P. Ioannes Camillus Ripoli, suffragantibus e 49 votis 33¹.

Die 29 Iunii eiusdem a. 1832 novus Rector Maior longas evulgavit literas circulares, latine exaratas et pulcherrimas. Dat modo verba dulcia, manifestans suum erga omnes subditos amorem, modo severa, veluti cum scribit: « Ecce inimicus homo multam zizaniam seminavit in agro suo, in agro videlicet Congregationis nostrae, omni exceptione foecundiore »². Vel cum monet: « Tempus quos residuum fuerit a confessionibus et actibus communibus, impendant (Patres) scrupulose in studia necessaria, praesertim theologiae moralis et apologeticae ad tuendam religionem nostram, quae non exigua hodie penuria zelantibus doctisque laborat. defensoribus ».³

Alter circularis (24 Sept. 1832) instruit de primo saeculari anniversario foundationis Congregationis; tertia (24 Iun. 1833) clericis studentibus pecularia dat monita et mandata; quarta (19 Nov. 1833) invehit contra abusum contionum quadragesimalium; quinta (9 Apr. 1834) ad verbum repetit statuta a praedecessore circa usum balnearum; sexta (6 Febr. 1836) est de principis haereditarii (futuri Francisci II) nativitate et matris reginae, Servae Dei Mariae Christinae de Sabaudia, obitu; septima (5 Mart. 1839) de proxima canonizatione Divi Alfonsi; octava (2 Oct. 1843) de mala sua valetudine et domorum visitatione per alterum instituenda; nona (7 Iun. 1846) de obitu Summi Pontificis Gregorii XVI. Hae sunt solae epistolae typis impressae.

Tacere nolumus, quae P. Hugues in suis memoriis (ms.) de P. Ripoli habet, quamquam huiusmodi iudicia aequalium vulgo *cum grano salis* accipienda esse constat: « In Capitulo, quod a. 1832 habebatur, electus est P. Camillus Ripoli, et missionarius et Rector per multos annos bene meritus ac clarus fama Religiosi pii humilisque. Quem cum cognovissem annis 1846, 1848 et 1849, eius simplicitatem, benignitatem, humanitatem admiratus sum, quippe qui ratione vitae vix ab ultimo Fratere laico differret, et unumquemque benigne atque humane exciperet. P. Sabelli⁴, quamquam huic iudicio consensit, tamen vituperavit eius magnam animi infirmita-

¹ *Acta Capit. Gen.*, p. 291.

² *Documenta Miscellanea*, p. 282.

³ L. c., p. 284.

⁴ Natus in urbe, tunc Silesiae Austriacae *Teschen*, hodie Poloniae *Cieszyn*, 14 Sept. 1780 e patre Siculo et matre Polona, inde ab a. 1802 cum S. Clemente vixit, primum Varsaviae, postea Vindobonae. Fuit Secretarius Rectorum Maiorum Mansionis et Coele et Ripoli atque confessarius secundae uxoris Ferdinandi II, Mariae Theresiae de Austria, quae Paganensi Madonnae de Spiritu Sancto pretiosas vestes donavit. Mortuus est Romae 24 Febr. 1863, primus in Villa Caserta.

tem, quae, postquam correptus est apoplexia, magis magisque augebatur... Quae animi debilitas quantum periculum Congregationi esset factura, quum P. Coele iam a. 1838¹ intellexisset, iam tum regem promoverat, ut Patri Ripoli episcopatum in Calabria offerret, quem tamen ille, ut erat humilis, non accepit ».

Revera Ferdinandus II d. 2 Ian. 1837 Patrem Ripoli nominavit Episcopum eximiae difficilisque sedis Potentinae (*Potenza*); nominatus vero renuntiavit, non semel, sed quinquies, diebus 6 Ianuarii, 24 Februarii, 3 Aprilis, 1 et 12 Maii. Tandem d. 14 Maii cursor Neapoli Paganos attulit nuntium hanc quintam renuntiationem esse acceptam!

In Decreto Pontificio 14 Maii 1849, quo Patri Ripoli datur auctoritate Pontificia Vicarius Generalis in persona P. Vincentii Trapanese, « quum eximius vir Rm̄us P. D. Ioannes Camillus Ripoli... sit corpore infirmo, ita ut non ea praestare possit, quae vellet pro regimine Congregationis », additur hoc elogium: « quod (regimen) sagaciter et magno cum fructu suorum in Christo filiorum hactenus tenuit »². Verumtamen in noto Decreto Pontificio 6 Sept. 1853 minus laudabiliter de ultima huius regiminis periodo dicitur: « Etenim dolendum profecto erat ob diurnam Camilli Ripoli Rectoris Maioris infirmitatem vigorem observantiae et disciplinae in ea (Congregatione) remissum fuisse »³. Ceterum solus Superior non valet omnia praestare, et ipse P. Ripoli in suis litteris d. 2 Oct. 1843 lamentatur: « Denique rogo omnes ut meminerint Deum paucorum annorum decursu tot nostros Sodales e gremio nostro expulisse, puniendo ita veros defectus et menda eorum, qui nunc vitam degunt infelicem »⁴.

De sollemni canonizatione S. Fundatoris, d. 26 Maii 1839 facta, iam fuit sermo.

P. Ripoli fuit unicus Rector Maior Paganis residens, qui aliquem legatum in regionem Transalpinam miserit; P. *Modestinus De Conciliis* mense Aprili 1841 Vindobonam venit, et d. 7 Apr. ad P. Petrum Rispoli Romae tunc degentem scripsit: « Hic maxima caritate exceptus sum. Vicarius Generalis Passerat, cum absens esset, statim, de meo adventu certior factus, occurrit; et quantam caritatem mihi monstraverit, dici nequit ». Similia, Deo sint grates! tot Transalpini dicere potuere de modo, quo a PP. Neapolitanis excepti sunt.

Eodem altero post S. Fundatoris canonizationem anno, d. 2 Iul. 1841, exiit illud Decretum Pontificium, quod, praeter alias res, velut de pauper-

¹ Lege 1836.

² J. WUEST, *Annales II*, 399.

³ *Acta Cap. Gen.*, p. 303.

⁴ *Doc. Misc.*, 298.

tate, stabilivit erectionem 6 Provinciarum¹, quodque proinde totius recentioris historiae nostrae quasi cardo est². Atvero in parte Instituti antiquissima et nobilissima invenit magna obstacula, partim propter resistantiam regalismi Borbonici, partim ob alias rationes. In Secreto Archivo Vaticano³ asservatur quaedam epistola Neapoli d. 18 Nov. 1841 a Nuntio Apostolico Camillo di Pietro (postea S. R. E. Cardinali) ad Cardinalem a Secretis Status Lambruschini data, unde Alfonsianae familiae condicio tunc temporis sat critica clare elucet.

Iam d. 4 Aug. 1841 insuper Eñus Patrizi, Praefectus S. Congregationis EE. et RR., Patri Ripoli vivum expresserat Summi Pontificis desiderium, ut Curia Generalitia nostra sedem suam Romam transferret⁴; immo postea verum praeceptum videtur esse datum.

Die 14 eiusdem mensis Gregorius PP. XVI insuper nobis obtulerat in Alma Urbe trans Tiberim magnam vetustamque Basilicam S. Chrysoconi cum adiacenti coenobio. In appositis litteris S. Congregationis EE. et RR. haec leguntur verba:

« Duo sibi proposita habet summa haec Beatissimi Patris in Congregationem SS. Redemptoris benevolentia: alterum ut Transtiberiano populo amplior praebeatur institutio et spiritualis assistentia opera Patrum Ligorianorum, quibus id ex suo Instituto incumbit, ut minutae plebi spiritualem opem ferant; alterum ut Congregationi SS. Redemptoris commodum praebeatur domicilium, ubi Rector Maior eiusque Consultores stabilem sibi sedem figant, iuxta normam, quam haec Sacra Congregatio praescribendam esse censuit »⁵.

At quid P. Ripoli facere poterat, stante aversione regis? Quare etiam S. Sedes tandem acquievit.

Ad Provinciarum erectionem quod attinet, Eñus P. Ripoli eiusque Consultores Summo Pontifici supplicem porrexerunt libellum, ut, pro Italia saltem, res in eodem, quo ante, statu permanerent. P. Passerat vero, a Nuntiis Vindobonensi et Bruxellensi id iussus, d. 8 Nov. 1841 novae Provinciae Austriacae primum Provinciale dedit P. *Franciscum Kosmacek* († 1860, Vindobonae), Belgicae P. *Fridericum von Held* († 1881, Vaalsii), Helveticae (postea Gallo-Helveticae nuncupatae) P. *Michaëlem Neubert* († 1882 in hospitio Pérouse). Romanae Provinciae regendae P. Modestinus De Concilis electus est, qui tamen oblatum munus constantissime recusavit. Tunc in P. *Sebastianum Perciballi* († 1854, Frosinone), qui ab

¹ Hoc ordine in Decreto recensentur: Romana, Neapolitana, Siculo-Calabra, Austriaca, Belgica, Helvetica.

² *Acta Cap. Gen.*, p. 301-303. — Cfr. quae defletus P. Ioannes Hofer de eo habet apud G. BRANDHUBER, *Die Redemptoristen*, p. 45.

³ *Affari Esteri*, n. 252.

⁴ A. WALTER, *Villa Caserta*, p. 6.

⁵ *Villa Caserta*, p. 8.

omnibus uti vir simplex et rectus agnoscebatur, Rector Maior oculos iniecit, primumque Romanae Provinciae Superiorem, die 30 Novembris anni 1841, renuntiavit. Difficultatibus tamen perterritus P. Perciballi bis munere se abdicavit, donec Rectoris Maioris iussis obtemperans gravi ponderi humeros a. 1842 supposuit¹.

In regno Utriusque Siciliae nil fieri poterat, et demum post obitum Rm̄i P. Berruti a. 1872, depulsis interim Borbonibus, primus Provincialis Neapolitanus nominatus est P. *Nicolaus Salzano* († 1877 Neapoli). Sicula Provincia propria in Catalogo anni 1884 refertur cum 2 domibus et 10 membris in communi viventibus, Provinciali P. *Antonino Impiduglia* († 1898 Pannormi). A. 1890 erat una domus cum 3 sodalibus! A. 1894 ad novam vitam vocata est Provincia ope sodalium Provinciae Romanae². Hanc digressionem confratres haud aegre ferre opinamur; multi enim historiam Congregationis accuratius cognoscere sitiunt.

Superiore Generali P. Ripoli in Europa notae illa eversiones politicae annis 1847-1848 factae sunt, quibus Congregatio in Helvetia et in Austria ad tempus suppressa est. Vicarius Generalis Ven. P. Passerat a. 1848 relicta Austria in Belgium se recepit ibique denuo obtulit suam demissionem, hac vice a P. Ripoli acceptatam. Ipsi tres Provinciales Transalpini receperunt iura Vicarii Generalis pro suis Provinciis, donec medio a. 1850, ergo post mortem P. Ripoli, ad pristinum regimen reditum est.

P. Ripoli, qui iam a. 1843 adversa sua valetudine impediabatur, quominus collegia Italica visitaret, a. 1846 vera apoplexia correptus est, et in condicione miseranda versabatur, cum d. 8 Oct. 1949 Christi in terris Vicarius cum rege Utriusque Siciliae sepulchrum Divi Alfonsi invisere dignatus est³. « Hoc tribulationis tempore (ita P. Hugues in sua ad Transalpinos epistola circulari supra citata) P. Ripoli vel magis manifestabat animi sui magnitudinem et summum suum Christi Crucifixi amorem, aedificans omnes fortissima sua patientia et unione cum Dei voluntate ».

Paganis sub effigie Rm̄i P. Ripoli haec pulchra legitur inscriptio: « Ioannes Camillus Ripoli, Corati natus, C. SS. R. Rector Maior a fundatione V, eximius Verbi Dei praeco, sermonis suavitate ad animi ac spiritus divisionem usque pertingens. Quot ad meliorem frugem revocaverit, admirati sunt Calabri, qui eum tamquam suum Apostolum usque nunc venerantur. Mitis et humilis corde ad regiminis fastigium evectus, ceteros non tantum munere, quam regulari observantia omniumque exercitio virtutum anteibat. Potentinum Episcopatum constantissime recusavit. Tandem pro-

¹ R. PITTIGLIANI, *Litterae Annales Provinciae Romanae* (Romae 1914), p. 13 sq.

² R. PITTIGLIANI, I. c., p. 41.

³ Cfr., praeter alios, A. BERTHE, *Saint Alphonse II*, 692.

lixae valetudinis (*sic*) igne probatus ad palmam perrexit Nuceriae Paganorum XIV Kalendas Martii¹. A. D. MDCCCL aetatis suae LXX ».

Quo magis haec brevis vita Rmi P. Ripoli contribuat ad dilecti Instituti historiam, in fine elenchum novarum foundationum exhibemus, quae annis 1832-1855 incl. factae sunt, ergo usque ad annum, quo electi sunt Rmi PP. Berruti et Mauron. Collegia et hospitia asterisco notata non iam exstant.

1832: Missio Americana (U. S. A.).

1833: *Marburg (in hodierna Jugoslavia), Eggenburg, Liège, St-Trond.

1834: Leoben.

1835: *Missio in regione Balcanica (Philippopoli), *Modena, *Finale.

1836: Wittem, Rochester.

1839: Pittsburg.

1841: *Vallo della Lucania, *Bruxelles (S. M. Magdalena), *Baltimore (S. Alfonsus), *Altoetting (duae domus), *Kirchberg am Walde, *Bruges.

1842: *Landser (Alsatia), New York (SS. Redemptor).

1843: Philadelphia (S. Petrus), *Montecchio.

1844: *Falmouth et *Hanley (Anglia), *Monroe (U. S. A).

1845: St-Nicolas-du Port, Buffalo.

1846: *Vilsbiburg, *Detroit.

1847: Teterchen, *Contamine-sur-Arve, New Orleans.

1848: Mons, *Fuchsmühl (Bavaria), Clapham, *Rijsenburg, *Hattert, *Great Marlow, *Lanherne.

1849: *Coblenz, Bruxelles (S. Iosephus), *Niederachdorf, *Cumberland (U. S. A).

1850: Amsterdam, *Bornhofen ad Rhenum.

1851: Puchheim, Luxemburg, Trier, Bishop Eton (Liverpool).

1852: *Douai.

1853: Annapolis, Limerick.

1854: Dunkerque, Châteauroux, 's-Hertogenbosch.

1855: *Martina Franca, *Arpino, *Ketzelsdorf (Bohemia), *Heldenstein (Bavaria).

Bruxellensis fundatio S. Mariae Magdalенаe sacra postea in Jette translata est et eo sensu vivere pergit. Mutinae et Detroiti postea aliis locis novae domus fundatae sunt hodiedum exstantes. De erroribus, qui forte irrepsere, Commentarii moderator certior fieri cupit.

¹ Esset dies 16 Februarii. P. Hugues in sua ad Transalpinos circulari scribit: « Dies 18 Februarii 1850 fuit dies ille luctus, quo Rmus P. Rector Maior admodum dilectus Ioannes Camillus Ripoli nobis morte ereptus est » (WUEST, *Annales* II, 408).

Quodsi Summus Pontifex (Pius VI) se ostendat nobis adversum et adversi quid decidat, noli, quaeso, de unione nostra desperare; nam quidquid evenit, spero Dominam Nostram nos non derelicturam esse.

Et sicut egomet hic cunctis sodalibus caritatis sensa insinuare satago, sic tu, Reverende Pater, idem facito. Deus enim amat amatores caritatis.